



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R.P. Thomae Młodzianowski Praelectionum Theologicarvm
Tomus ...**

**Młodzianowski, Tomasz
Moguntiae Et Dantisci, 1682**

Difficult. I. An sufficiat intentio faciendi exteriùs quod facit Ecclesia.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82982](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82982)

re vim illam agendi; & hæc est disparitas ad principale argumenti. Ex quo etiam deducitur, cur immediatè Minister efficiat Sacramenta & non immediatè gratiam: quia scilicet vi suâ independentè à Sacramentis non est institutus ut operetur, sed requirit vim in Sacramentis contentam; posita autem sui institutione, nullam aliam vim requirit ad positionem ipsius Sacramenti, v.g. ad positionem ablutionis, & dictionem; Ego te baptizo.

ASSERO Secundò. *Quod Minister sit causa gratiæ saltem mediatè.*

RATIO: Si enim non esset causa saltem mediata gratiæ, non posset de illo dici, quod remittat & solvat peccata, cum tamen id de Ministro Sacramenti Pœnitentiæ, enuntiet Sacra Scriptura.

ASSERO Tertiò. *Ministrum Sacramenti legaliter esse hominem non nisi viatorem.*

Quod legaliter sit non nisi homo;

RATIO: Quia ly, baptisantes eos, ly hoc facite in meam commemorationem, ly quorum remisistis, dicta sunt hominibus non angelis. Dixi legaliter, quia posset ad hoc assumi Angelus.

ADDIT DiCast: disp. 3. num. 34. Si aliquod Sacramentum administraretur à diabolo, non esse habendum pro valido.

RATIO: Quia non est credibile daturum Deum aliquando hanc illi facultatem; non tamen id repugnat de potentia absoluta.

Quod autem legaliter Minister Sacramenti sit non nisi viator;

RATIO est: Quia major est proportio inter Sacramenta, quæ non nisi pro viatoribus sunt, & inter Ministrum viatorem, quàm inter Sacramenta viatorum & eum qui est in termino. Tum quia ut advertit Lugo posset aliàs Episcopus, post diem iudicii in inferno constitutus, tribuere ordines ex odio Dei, & ad irrogandam Sacramentum injuriam; dicere autem quod sit in hoc impediendus à Deo, est recurrere ad miracula, quæ evitantur, si dicas in illo non residere hanc vim. Neq; valet si dicas, quod saltem derisorie posset id facere; quia derisoria actio non irrogaret Sacramento injuriam. Tum quia licet potuerit Christus instituere Sacramenta extensivè, etiam ad eos qui sunt in termino, tamen quod ita voluerit instituere, deberet inferri, vel ex revelatione, vel ex deductis, nihil autem horum in præsentia habetur, congruebatque ut sicut remedia salutis clauduntur cum vita, ita clauderentur & Sacramenta.

RESPONDEBIS ex DiCast: Quod potestas administrandi Sacramenta sit potestas administrandi viatoribus, si autem offerret Deus damnato Episcopo Viatorem, hoc ipso videretur vel le, ut exerceat circa illum potestatem.

CONTRA est. Cum negetur hæc in damnatis potestas, etiam oblatione illa, non hoc ipso

vellet exercere illam potestatem, nisi intelligatur aliunde committere hoc illi; & quod dicit Apostolus de Eucharistia, Mortem Domini annuntiabitis donec veniat; ita idem dicendum de collatione aliorum Sacramentorum; neque enim constat, extensivè ad damnatos instituisse hæc Sacramenta Christum; unde etiam si reassumeret anima non baptisati Corpus, & quidem jam sententiâ absolutâ damnationis, non posset baptisari, quia jam esset in termino; manet quidem in damnatis character, quia cum, ut plurimum, concedunt docti, sed non invaluit sententia, potestatem adstruens in ipsis qui sunt in termino conficiendi vel recipiendi Sacramenta.

QUÆSTIO III.

De modo agendi Cause Instrumentalis Sacramentorum.

PER modum agendi, intelligitur hic modus agendi humano modo, modus autem agendi humano modo, duo importat: imprimis modum agendi sensibiliter, & de hoc, supposita sunt aliqua, supra; deinde involvit intentionem, cum qua agere, est agere humano modo: hinc talis actio, non tantum erit hominis, sed & humana. Nomine autem intentionis, venit volitio intellectualis, faciendi aliquid; unde intentio habet rationem prioris, quia est respectu faciendi: & quidem quod Minister præter potestatem agendi debeat habere intentionem definitur Trident. Sess. 7. can. 11. *Si quis dixerit in Ministris, qui dicta Sacramenta conficiunt, non requiri intentionem; saltem faciendi quod facit Ecclesia, anathema sit.* Et certè decebat Sacramenta pro hominibus instituta, humano modo adeoque cum intentione, administrari.

DIFFICULTAS I.

An sufficiat intentio faciendi exterius, quod facit Ecclesia?

DICENDUM est. *Non sufficere intentionem faciendi non nisi actum exterius, prout exterius fit ab Ecclesia.* Est conclusio contra Catharinum, Sylvestrum, Paludanum Scribonium & alios. Difert autem hæc sententiâ, à sententiâ in Concilio Tridentino damnata, quia admittit intentionem aliquam, faciendi, quod facit Ecclesia, cum tamen Hæretici simpliciter negarint ullam esse intentionem necessariam; eam sententiam contra illos docet expresse Lugo disp. 8. à num. 14. DiCastillo disp. 3. num. 48. Esparza q. 13.

Punctum Difficultatis 1.

Probatur intentum.

PROBATUR Primò à Lugone inductione per Sacramenta facta. Quia scilicet Matrimonium non potest fieri sine intentione contrahentium, fictio enim interna vitiat contractum. Rursus in Sacramento Pœnitentiæ debet intercedere intentio, quia illud est remissum debiti peccato contracti, remissio autem valida non est, sine intentione remittendi debiti. In extrema unctione præter intentionem agendi quod agit Ecclesia, debet esse oratio, quia forma illius est deprecativa, oratio autem est aliquid internum. Eucharistia autem debet consecrari faciendo quod fecit Christus, ipse autem non dixit verba solum materialiter, sed affirmando illud esse corpus suum. Ergò & Sacerdos nomine Christi, debet habere animum loquendi & affirmandi illud ipsum, per illa verba. Episcopus etiam conferens ordinem dat potestatem consecrandi & absolvendi, non potest autem aliquis verè dare potestatem alicui, si fingat voluntatem quam non habet: idemque dicendum propter paritatem rationis de Baptizante, Confirmante.

RESPONDERI potest, quòd v.g. Matrimonium requirat intentionem internam non quia Sacramentum est, quia ad hoc sufficit velle exterius facere quod facit Ecclesia, sed ratione contractus qui illi initur: idemque diceret de Pœnitentia, quod pœnitens quidem, non tantum exterius pœnitere debeat, quia Christus actum internum requisivit doloris, sed absolvens, sufficit ut habeat intentionem exterius faciendi, verè enim adhuc cum tali intentione, facit, quod facit Ecclesia: non facit autem, si non habet actum internum doloris. Dicere etiam quis posset, remissionem civilem requirere actum internum, quia verò remissio, civilis, non est illic elevata ad Sacramentum, fit ut illic non sit necesse intercedere ullum actum præter faciendi exterius quod facit Ecclesia: peccata enim illa non remittuntur immediate à sacerdote, sed à Christo & Sacramento, quod confici posset, habita sola illa intentione faciendi exterius quod facit Ecclesia. Quamvis autem Christus non solum protulerit materialiter verba, sed & formaliter, affirmando illud per illos verba, non sequitur inde, debere id de necessitate accipi, quia in ordine ad Sacramentum sufficit id agere quod egit Christus, sed non quomodo ille egit, adeoque non cum illa intentione affirmandi. Denique licet collatio potestatis civilis, non fiat per solam voluntatem, fictam, seu nullum habentem actum internum, potest tamen fieri collatio potestatis Sacramentalis, cum intentione faciendi exterius quod facit Eccle-

sia: idque ex eo, quia actus civilis, totam vim suam habet ab interno, nec supponitur aliunde vim illam accipere; jam autem actus externus Sacramentalis, non supponitur vim accipere ab intentione interna Sacerdotis, sed elevatione illa, quæ Sacramentis ex institutione Christi debetur.

CONFIRMAT Primò Lugo. Quia si voluntas requisita faciendi, quod facit Ecclesia, est voluntas, faciendi exterius rem ferè, quia hoc est, quod exterius facit Ecclesia, ergo è contra, si quis habeat verum animum baptizandi infantem moribundum, sed ne agnoscatur à circumstantibus Christianus, fingat exterius se joco proferre verba, talis, licet haberet verum animum internum conferendi parvulo verum baptismum, non tamen id faceret; quia non faceret actum externum, quem facit Ecclesia.

RESPONDERI potest negando sequelam. Ratio est quia tunc intercedit duplex voluntas, una serio quantum est ex illo agendi, secunda serià suam actionem occultandi, quæ duo confundit præsens confirmatio. Et certè etiam per Lugonem adesse debet intentio faciendi exterius, quod facit Ecclesia, saltem virtualis: sicut ergò in principiis illius occultatio illius actionis, non officit Sacramento, ita nec in principiis oppositorum officit.

CONFIRMAT Secundò Lugo, quia si quis inter Ethnicos simulans se puerum lavare ob alium finem, proferret formam, ille baptismus foret validus, & tamen tunc minister non habet intentionem faciendi actum externum, qualem solet facere Ecclesia nam Ecclesia solet exhibere actionem quandam internam, quæ etiam exterius apparet sancta.

RESPONDERI potest huic confirmationi sicut & priori. Addo, distinguenda esse hæc duo: voluntatem faciendi actionem externam quam facit Ecclesia, & voluntatem faciendi actionem externam, eo modo, quo facit Ecclesia: & hæc propositio est falsa, hæcque sola non servatur in casu objectionis; prior autem est vera, & servatur in casu, de quo hic, & consequenter erit tunc validus Baptismus.

PROBATUR Secundò. Quia citata verba Tridentini, opposita sententia non accipit simpliciter, sed cum restrictione faciendi scilicet quod facit Ecclesia exterius. Quod ipsum ulterius sic proponi potest. In præsentia materia, talis intentio ponenda est, de qua verum sit dicere, Volo hac intentione id facere, quod facit Ecclesia, sed intentio faciendi id exterius, quod facit Ecclesia, non est intentio faciendi id, quod facit Ecclesia. Quod ipsum probatur: quia hoc quod facit Ecclesia, non est solum quid exterius, Ergò intentio faciendi id quod facit Ecclesia, non est sola intentio faciendi exterius, quod facit Ecclesia. Antecedens est de fide, quia Sacramenta quæ confert Ecclesia, non consistunt

sistunt in sola exteriori cerimonia, & iis, quæ sub sensum cadunt, sed ea transeunt in sanctitatem & gratiam. Consequentia probatur. Quia intentio debet esse talis, quæ velit facere quod facit Ecclesia, sed Ecclesia non facit tantum exterius. Ergo nec intentio debet esse faciendi tantum exterius, quia inter id quod facit Ecclesia, & inter intentionem faciendi quod facit Ecclesia, debet esse commensuratio, alias illa intentio non esset faciendi id, quod facit Ecclesia, sed faciendi nonnisi aliquid ejus, quod facit Ecclesia: & sicut in humanis si velit Petrus facere & flagellationem & orationem, velit etiam Paulus facere quod facit Petrus, non sufficit Petrus, non sufficit illi velle facere orationem & non flagellationem, sed debet velle utrumque, ita & in præsentia. Id ipsum sic aliter proponi potest. Quia eo casu, & habetur intentio faciendi quod facit Ecclesia & non habetur: habetur quidem, quia id definit Tridentinum, non habetur autem, quia hoc quod facit Ecclesia, non est solus actus externus.

RESPONDEBIS. Hanc propositionem: Volo facere exterius, quod facit exterius Ecclesia dupliciter accipi posse, vel cum positiva exclusionem & expressa voluntate non faciendi id quod facit interius Ecclesia, vel cum abnegatione, hoc est, non attingendo illud, quod velit etiam interius facere, quod facit Ecclesia. Et illa quidem prior intentio est invalida, ut probari potest argumento adlato, posterior tamen esset Sufficiens & valida.

CONTRA est. Quæro enim: An in intentione sufficiat ut reluceat voluntas faciendi, quod facit Ecclesia exterius, vel non sufficiat, sed quod debeat haberi generis intentio, faciendi quod facit Ecclesia? si illud prius sufficit, redit argumentum factum, quia Ecclesia non solum exterius, sed etiam interius operatur collatione Sacramentorum, ergo si tu habes intentionem faciendi quod facit Ecclesia, & exprimis hoc quod velis facere exterius, quod facit exterius Ecclesia, à paritate rationis debes etiam exprimere intentionem faciendi, quod facit interius Ecclesia; quod si dicas secundum consensum nobiscum; nam sequitur te habere intentionem faciendi, quod facit Ecclesia, ablato enim illo termino Exterius, ab illo modo concipiendi intentionem, restat hæc intentionis conceptio: Volo facere quod facit Ecclesia. Rursus quando in hac sententia habetur intentio faciendi exterius quod facit Ecclesia vel includitur simul virtualis & implicita intentio faciendi etiam reliqua quæ facit Ecclesia, vel non includitur: si includitur, redit ad communem sententiam, si autem non includitur, ergo intentio tua non est intentio qualem præscribit Tridentinum, quia præscribit intentionem faciendi quod facit Ecclesia, quæ non facit sola exteriora.

PROBATUR Tertiò. Illa intentio non sufficit ad Sacramentum, quia posita, potest non esse Sacramentum: sed posita intentione faciendi quod facit exterius Ecclesia, potest non esse Sacramentum. Quod ipsum probatur. Quia Christianus v.g. solo titulo curiositatis, vel solo titulo benè publicè agendi cerimoniam sacram, potest illam exercere, & tamen tunc non conficiet Sacramentum, alias in publicis actibus, in quibus v.g. exhibetur baptisimus Constantini, ille qui personam Constantini ageret, verè rebaptizaretur, quod esset per se inconveniens. Neque valet si dicas non tenere eo casu baptismum, quia ridicule agitur vel non serio: non inquam valet si dicas id, qui enim scenam publice agendam, privatim exercet, non censetur irridere suam scenam, sed se præexercitare. Ex hoc autem ipso quod dicas seriò debere agere sic, instituitur argumentum pro nostra sententia. Seriò agere præter defectum irridendi, habet aliquid speciale, requisitum in collatione Sacramentorum: quæro; quid illud sit? non sola intentio faciendi exterius, quia hæc potest dari in eo qui se præexercitat ad baptizandum publice, vel repræsentat Ethnico Principi, quomodo id fiat &c. similia, & tamen concedis casum, quod tunc, non conferretur baptisimus. Ergo illud seriò agere, non est idem, quod velle exterius Ecclesia. Neque ulterius valet si dicas, ad seriò agendum, requiri adhuc velle agere, eo modo, quo agit Ecclesia: quæro enim quid ille modus, præter illud non derisorie agere, involvat, ut constituatur seria actio, nec poteris quicquam aliud reperire, nisi intentionem faciendi quod facit Ecclesia.

Punctum Difficultatis 2.

Objectiones.

DESUMUNTUR illæ ex Lugone.

OBJICIT PRIMò. In oppositum aliquas paritates.

PRIMA PARITAS est. Si Iudex proferat exterius sententiam absolutionis, reus manet absolutus, quamvis interius aliud intendat, modo exterius fictionem illam non prodatur, Ergo etiam idem dicendum de Sacramento.

RESPONDET Lugo, falsum esse Antecedens, eo quod universaliter doceatur nullum actum esse legitimum, si fiat absq; interno consensu. Primò nihilominus condistinquenda esse hic aliqua; nam imprimis condistincta sunt hæc duo: si Iudex exterius proferat sententiam & aliter judicet interius; & aliud; si sine ullo interno assensu proferat sententiam. In primo tenet absolutio Iudicis, quia Iudex potest judicare secundum allegata & probata, quamvis

secundum suam internam notitiam & internum sensum, oppositum sentiat. Quoad secundum autem, si sine ullo assensu interno elicit, attendendo ad allegata & probata, proferat mere externè sententiam, tunc in foro exteriori manet ille absolutus verè, quamdiu non probatur oppositum. Ratio autem est, quia in foro externo non proceditur per interna. Tenet item professio etiam ficto animo facta, si quis non reclamavit & invaliditatem illis non probavit intra quinquennium; quæ omnia inde oriuntur, quia modus exterior agendi, alia regula non fulciunt, nisi externis actibus; hinc judicatur pro professio, qui cum fictione edidit professionem, modo exterius illa non sit manifestata. Quæ omnia in hoc fundantur, quia valor contractum procedit ab externa existimatione hominum in foro externo, quod non nisi secundum externa judicat, si pendet in foro externo, ab existimatione hominum, pendet in foro externo ab actione externa, si pendet ab actione externa, sit ut in foro externo, ad illam solum attendatur, utpote fundantem jus fori externi. Jam autem valor Sacramentorum, non pendet ab externa existimatione hominum, & si semel probati possit Sacramentum non fuisse validum, etiam ante probationem erat invalidum: quod si non pendet ab externa existimatione hominum valor Sacramenti, sit ut sola actio externa, non possit fundare validitatem illius. Idem paulò aliter proponi potest, quod scilicet forum externum, sit purè externum, adeoque ad sola externa attendens, hinc & validitas fori externi, debet esse validitas externa, & ab externis petita; jam autem validitas Sacramenti, cum sit per se & aliquo modo fori externi, Ecclesia enim de exterioribus judicat, sitque actio conformis ipsis Sacramentis, quæ sunt Signa visibilia, sit ut attendat etiam ad actionem externam: & ex altera parte, cum etiam sit actio per se fori interni, utpote fori Spiritualis, quod in internis fundatur, debet etiam habere internam intentionem.

SECUNDA PARITAS est. Sit Joannes mandatarius Petri, & juridicè emat agrum Nomine Petri, quamvis intentionem non habeat internam emendi pro Petro, nihilominus tota illa emptio, addicitur jure, Petro, habetque validitatem pro Petro, Ergo etiam in Sacramentis idem dicendum.

RESPONDET PRIMò Lugo, quod eo casu nemini acquiratur jus: non Petro, quia non habuit mandatarius intentionem contrahendi pro Petro; non etiam mandatario, quia venditor non habuit intentionem transfundendi dominium in mandatarium. *Sed hæc responsio*

NON SATISFACIT. Revera enim in foro judiciali, ille contractus, valet pro Petro, sicut in simili supra diximus. Pergit ulterius Lugo: quod si loquamur de donatione, certum vide-

tur, quod si ego donem alicui eleemosynam nomine Petri, cum tamen revera habeam animum internum donandi non ex pecuniis Petri, sed ex meis, tunc donatarius, verè acquirat dominium, & res erit donata non nomine Petri, sed nomine meo. Sed neque id satisfacit: si enim aliquis obligatur dare eleemosynam nomine Petri, eamque extrinsecus dat nomine Petri, talis indubiè ad forum citatus externum absolvetur, & satisfacit in foro externo, quamvis nullum habuerit actum internum. Ergo etiam sine actu ullo interno, valida erunt Sacramenta.

RESPONDETUR itaque Secundò, negando Consequentiam, propter disparitatem supra adlatam. Quia scilicet forum externum, non attendit nisi ad sola externa, quæ sola, jus illius fundant; jam autem collatio Sacramentorum, non est fori non nisi externi: imò si in ordine ad Sacramentum paritas sumatur à foro externo, multum probabitur, nam in foro externo, ne quidem habenda est intentio interna, externæ actionis, quod tamen docent oppositi de intentione ad Sacramentum requisita, præcipuè quia requirit hæc sententia intentionem externè agendi quod facit Ecclesia, illa autem id facit externè, nomine Christi.

TERTIA PARITAS est. Quamvis posita materia & forma Sacramenti, nolit minister causari effectum Sacramenti, nihilominus ponetur effectus Sacramenti, ergo etiam quando ponitur materia & forma Sacramenti, quantumvis non ponatur alia intentio, quam externè agendi, valebit Sacramentum.

RESPONDETUR disparitatem esse, quia quamvis de facto fieri potuerit, ut sine ulla intentione ministri, operaretur Sacramentum, de facto tamen, non posse operari docet Tridentinum, cujus verba simpliciter accipi non possent, nisi ponatur major intentio quam illa, quæ est, externè agendi, quod agit Ecclesia.

INSTABIS, quamvis non ponatur ulla intentio ponendi effectum Sacramenti, nihilominus ille ponetur, modo ponatur materia & forma, Ergo etiam quamvis nulla ponatur intentio significandi, vel quamvis non ponatur alia intentio, quam externè agendi, adhuc non impeditur & significatio & validitas Sacramenti.

RESPONDETUR. Disparitas est, quia cum Sacramentum sit causa necessaria, necessario ponit suum effectum, nec stat in libertate conferentis Sacramentum, ut suspendat vel non suspendat ejus effectum, consequenter nec pendeat ab ejus voluntate, positio effectus; jam autè ex alia parte, supponitur in debitis prærequisitis, poni illa causa ut agat: inter quæ prærequisita, est intentio faciendi, quod facit Ecclesia, ut vidimus supra ex Trident. Cum autem significatio Sacramentalis, ut est significatio, possit pendere à voluntate

tate proferentis, eò quod illa verba, possint habere & significationem Sacramentalem, & significationem usualement: ly enim Hoc est corpus meum, potest habere & significationem à Christo intentam, de suo corpore, & significationem intentam à Ministro, si velit significare, sui corporis entitatem. Quod si significatio illa pendet à libertate Ministri, determinare sese debet ad alterutram partem, hæc autem determinatio non potest alia esse, nisi volendo facere quod facit Ecclesia; hoc autem velle non potest, ex præcisa intentione agendi id exterius, quod agit Ecclesia ut dictum. In idem recidit hæc alia disparitas, quia scilicet, quando ponitur Sacramentum, est inimpedibile à suo effectu, supponitur enim, habere Minister omnia requisita ad agendum Sacramentaliter, quantum est de se, atque adeo intentionem debitam, si enim non sit intentio debita, impediretur ille effectus: quando autem applicantur & enuntiantur verba, cum sola intentione agendi exterius, quod agit Ecclesia supponitur, non habere Sacramentum debita prærequisita, nempe intentionem, qualis propugnatur, consequenter potest impedire Minister significationem ejus Sacramentalem.

QUARTA PARITAS est. Quamvis quis non habeat ullam aliam intentionem, nisi externè proferendi hanc vocem *Homo*, nihilominus non potest aliud significare nisi hominem, Ergo etiam quamvis non habeatur ulla alia intentio, nisi externè agendi quod agit Ecclesia, & externè proferendi formam, adhuc manebit significatio Sacramentalis, consequenter validum erit Sacramentum.

RESPONDETUR negando consequentiã. Tum quia vox *homo*, ex communi & usurpata significatione, non habet duplicem sui acceptionem, in quarum alterutra non significetur hominis esse; jam autem habet duplicem significationem forma Sacramentalis, ut immediatè dixi. Tum quia si accipitur paritas ut sonat, probabit multum, probabit enim non debere haberi etiam intentionem externè agendi, quod agit Ecclesia, siquidem hæc non est necessaria, ad prolationem & ponendam significationem vocis *homo*. Tum quia à placito particularium, non dependet significatio, consequenter ad significationem illius termini *Homo*, non est necesse habere actum internum; jam autem ab intentione particulari Ministri, pendet Sacramentum, propter doctrinam Tridentinam.

QUINTA PARITAS. Est verus idololatra, qui sine actu interno, adorat idola, Ergo & verè valideque conficit Sacramentum, qui externè adhibet materiam & formam, quamvis non habeat majorem intentionem, quam externè agendi id quod agit Ecclesia.

RESPONDETUR. In quo sensu verum est antecedens, in eodem verum est & consequens: nempe,

pe, quod sicut ille prior esset idololatra si cetera ita & Sacramentum illud, est non nisi fictum. Quamvis autem Ecclesia baptisatum externè, quamvis Minister non habuerit intentionem debitam, judicet pro baptisato, id tamen judicium Ecclesiæ procedit, in quantum illa per se jus habet, non nisi fori externi, fundati in sola actione externa.

QUÆRES ex occasione hac: An Minister habens debitam intentionem, dicendus sit, potius Minister Ecclesiæ, quam Christi. Est quæstio de voce, & quidem commodius est illum appellare Ministrum Christi. Tum quia ly Minister importat instrumentalem causam, instrumentalis autem causa, importat relationem ad principalem; jam verò causæ principalis rationem, cum addito, habet Christus, ut supra dicebam non Ecclesia. Tum quia ejus dici debet Minister, cui in ratione Ministri ita subordinatur, ut illa ratione ministrandi non habita, non conficiat Sacramentum, illa autem habita conficiat; jam autem qui putaret nullam esse Ecclesiam, vel errare illam in modo intentionis concipiendæ, vellet tamen facere quod instituit Christus, adhuc talis verè conficeret, nec faceret tunc intentionem in suppositione impossibili, tollente seipsam. Tum quia, si tota Ecclesia, hoc est, singuli particulares simul sumpti, facerent intentionem, non dicerent: Facio nomine Ecclesiæ, quia ipsi illi sunt Ecclesia, sed dicerent: Facio quod vult Christus, Ergo apparet ipsam totam Ecclesiam, habere se per modum Ministri Ecclesiæ.

OBJICITUR Secundò Principium negativum. Quia scilicet ex una parte poterat Christus instituire Sacramenta, non requirentia intentionem externè faciendi, quod facit Ecclesia, ex alia parte, nulla est necessitas, quæ ostendat, illum requisivisse majorem prædicta intentionem, imò ne illam requireret moveri poterat, ut ita securiores essent fideles, & non suspensi: An posita sit Ministri intentio, an non.

RESPONDETUR. Argumentum multum probaret, probaret enim nec intentionem agendi externè quod facit Ecclesia requisitam esse. Directè autem ad difficultatem dico, quamvis nulla esset necessitas, sufficeret libera Dei constitutio, qua decrevit illam prærequirere: de facto autem intercedere tale Dei decretum, innuerunt Trident. & Florent. & congruebat, ut cum in utilitatem humanam illa constituerit, vellet in illorū collatione, humano modo procedi, adeoque ex intentione finis: quod motivum potiorum locum de se meretur, quam timor de defectu intentionis, quæ facile haberi potest; & si Deus attendere debuit, ne daretur occasio timendi, debebat fecisse decretum, ne aliquis unquam in forma erraret, ne posset invalidam materiam applicare, & cætera similia.

Punctum

Punctum Difficultatis 3.

*Principia Philosophica & Auctoritates
in contra.*

OBJICIUNTUR Tertiò aliqua principia Philosophica.

PRIMUM PRINCIPIMUM est. Actio sequitur conditionem potioris agentis, quoties agens, est debite applicatum passio; sed in Sacramentis Deus habet rationem potioris agentis, Ergo sequitur Sacramentum quoties agens est debite applicatum, subsumitur: sed posita materia & forma & intentione exterius agendi quod facit Ecclesia, manet passum debite applicatum Deo, per ministrum operantem exterius, in persona Ecclesiae. Ergo hoc posito, ponitur Sacramentum, Ergo ulterius, cum sola illa intentione, est validum.

RESPONDETUR. Quod attinet ad principium, illud certe simpliciter acceptum, fallit, probat enim, quod conclusio non debeat sequi debiliorem partem, quod ex equo & asina debeat generari equus, &c. & sicut in adlatis instantiis, virtus potioris agentis, restringitur à debiliore, ita etiam & virtus illa divina, ex suppositione sui decreti, restringitur, ne ponat Sacramentum, ob defectum in instrumento, hoc est, deficiente in Ministro intentione. Ex alio principio idem argumentum dissolvit Lugo, vide eundem num. 54. Transito autem toto principio, negatur subsumpti antecedens, non enim est debite applicatum passum, cum non est debite acta intentio, debite autem acta non est, si non plus voluit, quam agere exterius, quod agit Ecclesia.

Ex quo etiam ulterius solves argumentum quo probatur, quod intentio causae secundae, non possit impedire actionem causae primae, quando materia & forma & actus est debite exercitus, hoc enim est quod negatur, nempe esse debite exercitum, cum sola intentione exterius agendi.

Sic, aliter proponitur idem principium. Inter duo pugnantia, victoria est semper, penes vires potentioris agentis: cum ergo Deus sit potentissimus agens, licet illi aliud repugnet, semper suum sortitur effectum, Ergo licet intentio interior & exterior pugnent, exterior obtinebit effectum, quæ fortior est, quia Deus cum illa concurrat, & si deficeret, defectum suppleret, præcipue cum in persona Ecclesiae, administretur Sacramentum.

RESPONDETUR hanc objectionem multa involvere non explicata. Si enim v.g. per intentionem internam pugnantem intelligat, quod non sit conficere Sacramentum, & tamen applicet materiam & formam, illud certe est contra communem sensum, quod scilicet possit confi-

ci Sacramentum, quamvis nolit illud Minister conficere. Rursus non probat cur Deus potius concurrere debet, ut intentio exterius operandi fortietur effectum, & non intentio interior. Rursus universaliter illud principium & sine restrictione fallit, probaret enim, quod cum ex una parte bonum delectabile contra Dei voluntatem inclinatur appetitum, & ex alia parte præsentatur Dei voluntas, quod semper penes Dei voluntatem sit victoria, adeoque nunquam peccari. Principium ergo hoc verum est, cum potentius agens intellectuale, agit, modo viribus illis proportionato, non verò cum suapte sponte, vires suas restringit: hoc autem in præfenti verificatur, quia Deus in productione Sacramentorum, restrinxit vires suas, & non vult modo illis proportionato operari, sed adstringit operationem suam, intentioni creaturæ, conficientis Sacramentum. Denique quod addit defectum intentionis externæ à Deo suppleendum, probat multum, quia aliàs etiam illa non posita, sed solum applicata materia & forma, suppleendum adhuc illius defectum. Vide aliam responsionem ad idem argumentum apud Lugonem citatum num. 55.

SECUNDUM PRINCIPIMUM est. Esse, sequitur ad operari: & determinatum modum essendi, sequitur determinatus modus operandi: consequenter determinatum modum operandi, sequitur determinatus modus intendendi operationem; sed modus operandi non extendit sese nisi ad actum exteriorem: nam gratiam vel characterem ipse Deus producit. Ergo etiam & modus intendendi operationem, debet se extendere, non nisi ad actum externum.

RESPONDETUR. Hanc difficultatem tactam esse supra. An Minister producat gratiam, ubi quamvis negatum sit, illum producere gratiam immediate, producit tamen mediatè, cujus oppositum supponit hæc obiectio, & non probat. Sed supposito etiam quod non attingeret productionem gratiæ etiam mediatè Minister, nondum sequetur validitas Sacramenti, dicitur enim solum Deum producere gratiam vel characterem, casu quo debite applicetur materia & forma, debite autem applicata non sunt, nisi ponatur intentio talis, qualis præpugnatur.

TERTIUM PRINCIPIMUM est. Opus respondet praxi non speculationi; sed intentio Ministri, quæ procedit ad opus, est practica, interna verò intentio, est speculativa. Ergo opus quod sequitur quoad actum externum, debet potius pendere ab intentione practica, quam à speculativa.

RESPONDETUR, etiam ex hoc principio nihil deduci; neque etiam probat intentionem illam internam, esse speculativam: nam cum dirigit logica internè, dictans hoc non esse secundum artificium artis, verè adhuc habet operationem

*(F) 2

pra-

practicam, quæ habet pro objecto æquivalenter opus; sic & illa interna intentio, qua nolle conficere Sacramentum, modo sit præscriptiva modi id agendi, erit adhuc æquivalenter practica. Rursus quamvis opus respondeat praxi, respondet tamen ei positæ ut debet poni, non ponitur autem ut debet, quando non ponitur cum intentione debita, jam autem illi praxi non apponitur debita intentio, si sit intentio solum externæ agendi, quod agit Ecclesia.

Reliquas Objectiones vide apud Lugo. Quando autem alii ex eo urgent non debere haberi intentionem, quam solius actus externi; quia in distributione Sacramenti Eucharistiæ, distributio non pender ab intentione interni actus, id omnino non convincit, quia eo casu, non conficit Sacramentum distribuens, sed supponit confectum, si supponit confectum, non debet ponere prærequisita illius conficiendi, consequenter nec intentionem, qualem ad confectio- nem Sacramenti prærequirit Tridentinum.

Obijciuntur Quartò aliquæ historiæ, ut Athanasii baptisantis infantes, & quos iteratò non audebat baptizare Alexander Patriarcha Alexandrinus, & S. Genesii Martyris, qui in publico theatro irridens baptismum, fecit se baptisari, cujus baptismus tenuit, ut videre est apud Vincentium Beluacensem lib. 12. cap. 104.

RESPONDETUR, quoad primam historiam, quod ille habuerit verè & seriò intentionem, non solum actus externi, sed etiam faciendi, ut sit in Ecclesia, unde post cognitam per examen talem intentionem, non ausus fuit Patriarcha, iteratò baptizare. Quod ad secundam historiam attinet, tribuit illam justificationem Lugo accedenti concursui & amoris Dei, ad quem Deus excitavit Genesium: quando autem Angelus apparens, videtur illi ablutioni promittere remissionem peccatorum, dicit, quod illa ablutio, valuerit in ordine ad remissionem poenæ. Sed hæc ejus explicatio non est plana, nec simpliciter accipit historiam; quoniam enim peccata remittuntur baptisatis, ut dicit Angelus, si nonnisi remittitur poena reatus: Potius itaque dici potest, quod cum Deus potuerit facere, ut Sacramentum teneret etiam seclusa intentione conferentis, quod inquam ad honorandum baptismum, defectum illum suppleverit. Et sicut licitum est Lugoni assumere, quod illi baptismo per modum indulgentiæ fuerit applicata remissio, ita dicere possumus ad honorandum baptismum, Dei dispensatione suppletam conditionem intentionis, præcipue quia baptismo illi tribuit Angelus remissionem peccati.

Obijciuntur Quintò variæ auctoritates.

PRIMA AUCTORITAS est Christi, qui mitens ad baptisandum, non meminit intentionis.

RESPONDETUR, Quod non meminerit inten-

tionis explicitè, meminerit tamen implicitè, in quantum illos instruebat, ut id facerent tanquam Ministri ejus. Rursus nec etiam intentionis Christus meminit faciendi exterius, quod facit Ecclesia, & tamen talem intentionem requirunt oppositi. Denique quamvis id in Evangelio scriptum non sit, suffecerit Ecclesiam traditione id habere, & simul colligere ex intrinsecis principiis confectio- nis Sacramento- rum, quæ cum conficiantur humano modo, debent confici cum intentione.

SECUNDA AUCTORITAS est S. Augustini lib. 7. de baptis. contra Donat. cap. 53. sed illo loco, ut advertit Lugo, explicari S. Doctor potest, quod nomine fallaciter dantis vel suscipientis, non intellexerit dantem vel suscipientem sine intentione, sed solum dantem vel suscipientem sine fide, de valore Sacramenti; quando autem etiam ab ebrioso collatum baptismum dicit tenere, nomine ebriosi intelligi non ebrium, sed habentem habitum ebrietatis, consequenter non dicit August. sine intentione tenere baptismum, sed tenere, quamvis conferatur ab improbo homine.

TERTIA AUCTORITAS est S. Thomæ, ubi in 4. dist. 6. quæst. 1. dicit ad baptismum non requiri mentalem intentionem. Hæc tamen auctoritas ut sonat accepta, non favet oppositis, quia etiam intentio externæ agendi quod facit Ecclesia, & quam illi ad valorem Sacramenti requirunt, est intentio mentalis, requiri autem non deberet, si ex S. Thoma, non requiritur mentalis intentio. Potest commodè S. Thomas intelligi, quod nomine mentalis intentionis, accipiat mentalem intentionem in mente versantem, in actu conferendi Sacramentum, quod autem requisierit intentionem, indicant illa verba: *sufficit expressio intentionis per verba*; si autem non fuit ulla intentio, quomodo exprimitur, sicut quomodo exprimi potest propositum internum affirmativum, si nihil internè sit affirmatum. Fuisse autem hanc mentem S. Thomæ vel inde colligi potest. Quia illo loco intentum illius fuit, ostendere principium pacandæ conscientiae, quæ suboriri posset, ex eo, an haberet Minister in collatione Sacramenti intentionem, cū pacandæ hoc principium adfert, quod non sit in collatione Sacramenti necessaria intentio, hoc est, explicitè, actu, mente concepta intentio, dum confertur Sacramentum: imò multi legunt loco ly mentalis intentionis, ly specialis intentionis. Colligitur item mens illius ex 3. part. Quæst. 64. art. 10. Di Cast. autem ita explicat disp. 3. num. 53. quod scilicet dicat S. Thomas, sine intentione valere Sacramentum, sed quod Deus defectum sua misericordia suppleat consule post alios de hoc Lugo disp. 8. num. 62. Addunt alii ante definitionem Conciliorum, fortasse docuisse hoc & S. August. & S. Thomam.

DIFFI-